

ELEGIA I.

AD VIRUM CLARISSIMUM

MICHAELEM DE SORGO.

Te tenet antiquo tellus habitata Quirino,
 Et regnata novis moenia Caesaribus,
 Flavus ubi impositam septenis collibus Urbem
 Alluit Etruscae flumine Tiberis aquae;
 Dorica mox Ancon, Picentis et ara Diones 5
 Te patrio mittent Illyrico incolumem.
 Me tenet interea medio parva Insula ponto,
 Parva quidem, fateor, sed tamen apta mihi.
 Nec tantum Ogygiis specubus laetata Calypso est,
 Dum fuerant Ithaci littora pressa pede; 10
 Nec tantum Idaliae Veneri placuere latebrae,
 Dum desiderio flagrat, Adoni, tuo;
 Ut placet ista meo tellus gratissima cordi,
 Una mihi urbanis carior illecebris.
 Phoebe, fave, majusque mihi modo suggere carmen, 15
 Elaphis ut nostra sit mage nota lyra,
 Inter Elaphites Elaphis pulcherrima trinas,
 Qua nihil in toto pulcrius est Hadria.
 Si caelum spectes, caeli blandissima semper
 Temperies puro haud invidet Elysio. 20
 Arcent interjecti Aquilonem et frigora montes,